



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De Juramento Testium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## De Iuramento Testium.

stium requisitorum multa possit consuetudo, non potest tamen facere, ut unus testis, cuiuscunque sit dignitatis, plenè probeat, cum talis consuetudo apertam occasionem præberet multis calumniis, perjuriis, iniquis oppressionibus &c. nisi gravis valde necessitas, aut evidens utilitas consuetudinem talem, aut statutum tale exigeret, prout de facto in causis judicialibus levioribus, nihil tertio præjudicantibus, in causis summaris, in causis quibusdam non judicialibus; cum agitur de evitando peccato; in denuntiatione inhabilitatum ad Ordines suscipiendos, vel ad beneficia Ecclesiastica obtinenda; ad probandam Rei innocentiam; vel casu quo partes consentiant, ut unico testi plena fides habeatur; vel hic sit Officialis, ad denuntiandum constitutus; vel de proprio actu testetur &c. unius testis testimonium sufficit; in genere tamen etiam dici potest, quamvis unus testis plenam fidem non faciat ad causam decidendam, si tamen sit omni exceptione major semi plenè probat, de eo quod in iudicio deponit, & sufficientem præsumptionem facit ad inquirendum, citandum, & torquendum etiam reum, & conjunctum cum aliis iudiciis & præsumptionibus plenam fidem facere potest saltem in civilibus causis; & quamvis unicus testis, etiamsi fide dignissimus sit, testis omnino inhabilis defectum non suppleat, putant tamen aliqui per unius superabundantem fidem aliorum testimonium minorem habilitatem suppleri posse, quia quod imperfectum est, per aliud suppleri potest, non autem quod omnino nullum est.

Quod testis non jurati qualibet ille sit, testimonium nihil prode in iudicio, ex utroque jure patet, *L. 1. de iurandi 9. Cod. h. t. c. Nuper 51. h. t. &c.* ad teste, antequam deponat, juramentum exigitur non calumnie, sed veritatis. Et quod nec pretio, nec amore, nec odio, nec terrore, nec ex alio simili motivo moveatur ad testimonium dandum; & quod depositiones suas ante eorum publicationem nemini sit revoluturus. Et quamvis in quibusdam criminalibus ea praxis observetur, ut testium depositiones fiant, antequam ab eis juretur, moneantur tamen exprèsse, ita deponant, ut possit postmodum depositiones suas juramento confirmare, depositio taliter facta nunquam ad sententiam ferendam (in re alicujus momenti) inducet iudicem, nisi juramento depositiones illæ fuerint confirmatæ, & quidem in iudicio, non extra illud. Debet autem testium juramentum esse corporale tangendo Evangelium, nisi consuetudo aliam praxim duxerit, aut specialia alicubi privilegia personæ aliquæ habeant, ita ut illis non juratis credendum sit. Potest tamen etiam ab adversa parte, contra quem testes producuntur, si exprèsse consentiat, remitti hoc juramentum, ut constat ex *c. Tuis 39. in Etâ Gloss. V. de mittatur h. t.* (cum suppliciter assertio in proprium præjudicium contentum esse possit, in cuius favorem juramentum hoc introductum est) exceptis causis criminalibus capitalibus, & causis ma-

monialibus, ubi agitur de valore matrimonii, quia in hoc casu vertitur periculum anime, in illo casu publica vindicta juramentum exigit, prout etiam publicum bonum tale juramentum exigit, si agatur de beneficio Ecclesiastico.

## §. III.

*De forma & modo, quo testes deponere debent, & quomodo delicta occulta per testes probari possint?*

**T**estes presentes quidem in loco iudicii testimonium rogati, & à partibus producti deponere debent, non tamen in scripto, sed vivà voce, de his, quæ aliquo sensu corporeo perceperunt, prout habetur in *Can. Testes 15. Caus. 3. q. 9. juncta Gloss. V. Qui noverunt* (ut Judex scilicet cognoscere possit, quo vulcu, quâ constantiâ vel trepidatione &c. testimonium deponant) nisi consuetudo, aut necessitas aliud jubeat.

Delicta occulta, uti est fornicatio, adulterium &c. probantur quidem per testes juratos, sufficit tamen, si deponant de auditu, & de indicis, quæ criminalia comitantur, vel præcedunt, & communi famâ adjuventur, ita tamen ut pro diversitate circumstantiarum, aut causæ major vel minor probatio sufficiat; multum tamen hac in re, quæ evidenter probari non potest, Judicis arbitrio relinquatur.

§. \* \* §.

## SECTIO III.

*De Testibus, de Credulitate, & singularibus; & testibus inter se, vel sibi ipsis contrariis.*

## §. I.

*An, & quam vim probandi habeant Testes de credulitate?*

**T**estes, qui non deponunt, quod rem sciunt proprio sensu perceptam, sed quod credant ita se habere, eò quod à Viris fide dignis audiverint, dicuntur testes de credulitate, quibus etiam si plures eorum sint, qui taliter jurati deponunt, fides tamen plena non habetur (quia testis de sua non de alia scientia deponere debet, de illis scilicet quæ ipse vidit, vel audivit, non de illis, quæ ex aliorum relatione didicit, quæ depositiones multis plerumque conjecturis, quibus periculum fallendi subest, nituntur) etiam si fama publica cum tali depositione concurrat. *Tam literis 33. h. t. juncta Gloss. V. de audiu.* Admittuntur tamen etiam testes de credulitate eorum, quæ ex aliis audiverunt, ad fidem aliquam faciendam in casu necessitatis, si suæ credulitatis rationem reddant; in causis quæ directè probari, & certè cognosci non possunt, ad probandam rei innocentiam, si concurrant alia adminicula, præsumptiones, vel indicia; si deponant super factis antiquis, ætatem hominum de factis viventium excedentibus, si deponant de illis, quæ facta sunt tempore pestis; si deponant ad probandam consanguinitatem, vel affinitatem &c. saltem si agatur ad vitandum